

*Sam bone pastor Petre clemens accipe
Vota precantium, & peccata vincula
Resolve, tibi potestas tradita.*

Potestas autem tradita Petro est potestas clavium. Potest ergo habens claves ex tradita sibi potestate dicere, *Ego te absolvo.*

Non solum autem hoc convenienter dicere potest, sed & necessarium esse videtur. Sacramenta enim novae legis efficiunt quod figurant. Figurant autem, seu significant & ex materia, & ex forma verborum, ut in Sacramento baptismi apparet; nam ablutio corporalis, quae fit per aquam, significat internam ablu-tionem, & sacramentaliter efficit eam: similiter verba quae dicuntur, *Ego te baptizo*, idem significant: & idem apparet in sacramento confirmationis, in quo forma est: *Consigno te signo crucis, & confirmate christi-nate salutis &c.* Quibus verbis manifeste effectus sacramenti figuratur. In sacramento etiam Eucharis-tiae sacerdos ex persona Christi loquens dicit: *Hoc est corpus meum: hic est calix sanguinis mei*: hoc significans quod in Sacramento efficitur. Similiter etiam in sa-cramento matrimonii requiruntur verba exprimentia consensum de praesenti, & copulam conjugalem. In sacramento vero ordinis, quia fit traductio potestatis, est forma imperativi modi, cum Pontifex dicit: *Ac-cipe potestatem faciendi hoc*, vel illud. In solo autem sacramento extremae unctionis forma verborum est sub modo deprecativae orationis, sicut cum dicitur: *Per istam unctionem, & suam sanctam ac piissimam mi-sericordiam indulget tibi Deus quicquid deliquisti per visum &c.* Servatur autem hoc in hoc sacramento propter auctoritatem sacrae Scripturae: dicitur enim Jacobi: v. 15, ubi de hoc sacramento loquitur: *Ora-tio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum. Domi-nus: & si in peccatis sit, remittentur ei*: ubi etiam ratio hujus singularis observantiae assignari videtur. In aliis enim sacramentis nihil corporaliter agitur quod non statim ex operatione ministri sequatur; sicut stratum in baptismo fit ablutio corporalis, quae spiri-tualem designat, & sacramentaliter causat: sanatio autem corporalis non statim sequitur ex unctione, sed petitur prestanda à Deo: unde & interior sanatio, quae per eam signatur, sub deprecatione à Deo pos-citur. In sacramento autem poenitentiae verba Scri-pturae, quae maxime sunt sectanda, non faciunt men-tionem de aliqua deprecatione, sed magis verbo in-dicativo utitur: non enim dicitur, *Quaecumque pe-tieris esse solvenda*, erunt soluta: sed *Quaecumque sol-veris, erunt soluta*. Si ergo illa tantum dicuntur esse soluta quae habens claves solverit; qui autem petit aliquid esse solvendum, non solvit: miror quia teme-ritate aliquis asserat esse solum, quem habens cla-ves non significat se solvere, sed solum rogat esse sol-vendum.

Non autem similis ratio est utendi deprecativa oratione in hoc sacramento, sicut in sacramento extre-mae unctionis: quia nihil hic corporale expectatur futurum, quod non statim fiat, ut in extrema unctione; quinimmo certissimum est in hoc sacramento per claves Ecclesiae remissionem peccatorum conferri, nisi sit impedimentum ex parte confitentis, sicut etiam accidit in baptismo. Dicit enim Augustinus: *Non erit turpis, nec difficilis post patrata, & purgata adulteria reconciliatio conjugii, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum*. Non ergo sub incerto modo deprecativae orationis signifi-canda est in hoc sacramento remissio peccatorum, sed sub certitudine per indicativam orationem. Non ergo est forma in sacramento poenitentiae, *Absolutio-*

nem, & remissionem tribuat tibi omnipotens Deus, sed Ego te absolvo.

CAPUT II.

Objectiones cum resolutionibus.

Sicut autem temerarius est in asserendo, ita vani-
loquus in probando, dum frivola quaedam pro-
rationibus inducit.

Primo enim inducit quendam postillam super summam Raimundi, quae dicit, quod in talibus, scilicet absolute ab excommunicatione, licet verba exigantur, non tamen praescripta est forma verborum, sicut in Sacramento Baptismi, & Eucharistiae. Ubi primo derisorium est in tanta re postillam summam pro auctoritate adducere. Deinde, ut postillatori non fiat injuria, dicamus, quod alia ratio est de absolu-tione ab excommunicatione, quae non est sacramen-talis, sed magis judicialis, jurisdictionem consequens; & aliud de absolute à peccatis in sacramento poenitentiae, quae consequitur potestatem clavium, & est sacramentalis. In illa enim verba habent efficaciam ab intentione dicentis, unde non refert qui-buscumque verbis utatur ad exprimentandam suam in-tentionem, in sacramentis autem verba habent effica-ciam ex institutione divina: unde tenenda sunt verba determinata consonantia divinae institutioni. Insti-tutioni autem dicentis, *Quaecumque solveris &c.* ista verba conveniunt, *Ego te absolvo*; sicut institutioni dicentis, *Buntes, docete omnes gentes, baptizantes, &c.* conveniunt ista verba, *Ego te baptizo &c.* Sicut ergo ista tenenda sunt in baptismo, *Ego te baptizo*; ita in poenitentia, *Ego te absolvo.*

Secundo autem ponit, quod Magister qui senten-tias compilavit, non posuit hanc formam, nec ali-quem Sanctorum legitimus hac forma usum fuisse. Contra quod dicendum est, quod nec Magister for-mam posuit, nec legitur de alia forma, qua aliquis Sanctorum sit usus, nec alias legitur, quod aliquis istam formam negaverit; legitur autem quod ipse institutor sacramenti dixit, *Quaecumque solveris*, quod est majus omni auctoritate.

Tertio ad hoc inducit, quod in quibusdam absoluteionibus quas Ecclesia facit in Prima, & in Completorio, ante Missam, & post predicationem secundum morem Romanae Ecclesiae, & in die cinerum, & cenae Domini, non fit absoluteio per orationem indicativam, sed deprecativam. In quo miror eum non advertere, quod hujusmodi absoluteiones non sunt sacramentales, sed sunt quaedam orationes quibus dicuntur venialia peccata di-mitti, sicut per orationem dominicam, qua dicitur, *Dimitte nobis debita nostra*.

Quarto autem inducit sic sensisse quosdam anti-quos, & famosos Magistros, scilicet Magistrum Gu-lielmum de Altissodoro, & Magistrum Gualielmum quondam Episcopum Parisiensem, & Dominum Hugonem quondam Cardinalem: de quibus quod ita senserint, non constat. Sed etsi ita senserint, num-quid eorum opinio praedicare poterit verbis Domini dicentis Petro: *Quaecumque solveris &c.*? Num-quid etiam si nunc viverent, praedicare possent communi sententiae Magistrorum Parisiis regen-tium, qui contrarium sentiunt decernentes absque his verbis, *Ego te absolvo*, absoluteionem non esse per solam deprecativam orationem?

Quinto vero proponit de eo quod agitur in sacra-mento extremae unctionis, quod supra solum est.

Sexto objicit de hoc quod Matth. ix. cum dixeret

Do-

Dominus paralytico, *Remittuntur tibi peccata tua*, dixerunt, *Hic l'asphemat*: nam peccata dimittere solus est Deus: non ergo sacerdotis. Hoc etiam per verba Dionysii supra solum est; quia Dei est auctori-tate peccata dimittere, hominis autem est ministe-rium ad remissionem exhibere, dum in persona Christi peccata condonat, sicut dicit Apostolus.

Septimo objicit, quod in suscitatione Lazari, se-cundum Augustinum, & Gregorium, significata est suscitationis peccatorum praeparatio: quia Lazarus est prius à Domino vivificatus, quam traderetur discipulis absolvendus. Ex quo arguit, quod ni-hil valet absoluteio sacerdotis antequam homo sit à Deo vivificatus per gratiam, & suscitatus à morte culpa. Ergo sacerdos non potest super culpam. Quae quidem ratio multiplices defectus habet. Primo quidem quia arguitur ex metaphoricis locutio-nibus, ex quibus non est arguendum, ut Dionysius, & Augustinus dicunt. Secundo quia ratio sua non est ad propositum. Constat enim quod Dominus Laza-ri suscitavit, & discipulis solvendum mandavit. Ergo discipuli absolvent. Per hoc ergo non ostendit-ur, quod sacerdos non absolvat, aut non debeat di-cere, *Ego te absolvo*; sed quod eum non debet absol-vere in quo signa contritionis non videt, per quam homo justificatur interius à Deo culpa remissa.

Quia vero dicit, quod sacerdos non potest habere super culpam potestatem, & hoc habere potest calumniam; sciendum est, quod si intelligat, quod sa-cerdos sua auctoritate super culpam potestatem non habet, dicit verum. Si autem intelligit quod sacra-mentum quod sacerdos ut minister tradit, non se ex-tendit ad remissionem culpae, falsum dicit. Sicut enim per baptismum dimittur omnis culpa & origi-nalis, & actualis; ita per sacramentum poenitentiae remittitur actualis culpa. Contingit autem quandoque in baptismo quod aliquis antequam sacramentum baptismi actu percipit dum habet sacramentum in vo-to, vel in proposito, consequitur justificationem à solo Deo; & tamen si ante consecutus non fuerit ex vi sacramenti, nisi obicem opponat, justificationem consequitur, sacramentum suscipiendo: ita omnino est de poenitentia. Nullus enim reputatur contritus, nisi habeat propositum subjiciendi se Ecclesiae clavi-bus, quod est habere sacramentum in voto. Unde quandoque aliqui consequuntur justificationem in ipsa absoluteione, quam ante non fuerant assecuti.

Octavo objicit, quod pariter potestatis est baptismi abluere interius, & à culpa mortali absolvere. Sed Deus non communicavit potestatem interius baptizandi, ne spes poneretur in homine. Ergo nec absol-vendi ab actuali peccato: in quo suam vocem igno-rare videtur contra se ipsum objicentis. Sicut enim solus Deus interius baptizat, & tamen quia homo mi-nisterium exhibere exhibet, dicit, *Ego te baptizo*; ita Deus per se ipsum à peccato absolvit, & tamen homo, qui exteriori ministerium exhibet, dicere debet, *Ego te absolvo*.

Nono objicit, quod remissio peccatorum fit per gra-tiam, quam homo dare non potest. Cui dicendum est, quod licet homo non possit dare gratiam, potest ta-men dare gratiae sacramentum, per quod fit remissio peccatorum.

Decimo objicit, quod Dominus dixit ad Moysen: *Loquere Aaron, & filiis ejus: Sic benedicetis filiis Is-rael, & dicitis eis: Benedicat tibi Dominus, & custo-diat te: Numeri vi. 23.* & subditur: *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis*: quod videtur imitari praelat, cum dicunt, *Benedicat*

vos Deus, vel divina majestas, nec dicunt, *Ego te be-nedico*. Hic aperte decipitur, quia benedictio ista non est sacramentalis: sed ubi sacramentalis benedictio occurrit, sicut in sacramento Eucharistiae, tunc ipsi sacerdotes benedicere dicuntur: unde Apostolus dicit I. Corinth. x. 16. *Calix benedictionis, cui benedi-mus*: Glossa: „ Cui nos sacerdotes quotidie benedi-cimus. “ Nec est verum quod subdit, quod hoc quod dicitur, *Absoluteio, & remissionem tribuat tibi &c.* sit forma, aut pars formae. Non enim conveniunt verbis Scripturae, quae dicit: *Quaecumque sol-veris &c.* & *Quorum remiseritis &c.* Nec hoc quod dicitur, *Benedictio Dei omnipotentis &c.* pars est formae; cum hoc ex Scriptura trahi non possit, nec in usu communi habeatur, licet aliqui hoc dicant.

Undecimo objicit, quod cum clavis sit potestas quae est in ministro, si extenderet se ad culpae absolu-tionem, hoc esset per modum efficiendi, quod soli Deo competit. Cujus solutio jam ex dictis patet. Po-tertas enim clavium se extendit ad absoluteionem culpae, non sicut causa efficiens principalis, quae enim Dei est, sed sicut instrumentum; sicut & aqua bap-tismi, de qua Augustinus dicit, quod *corpus tangit, & cor abluit*.

Duodecimo objicit, quod Dominus idem voluit ostendere, dicens: *Quaecumque solveris &c.* & *Quorum remiseritis &c.* Nullus autem dicit, *Ego tibi remitto peccata*. Ergo nec debet dicere, *Ego te absolvo*. Sed obliviscitur ejus quod Apostolus dicit, se donasse peccatum non propria auctoritate, sed in perso-na Christi. Donare autem idem est quod etiam remit-tere. Papa etiam se relaxare dicit aliquam partem de poenitentia injuncta: ideo enim in absoluteione sacra-mentali potius utitur verbo absoluteionis, quam remissionis, ut forma absoluteionis conveniat verbis institutionis: quia Dominus exponens clavium potesta-tem, his verbis usus est, *Quaecumque solveris &c.*

Tertiodecimo objicit ex auctoritate Hieronymi re-prehendens quosdam de eo quod putant se damnare innoxios, vel absolvere noxios. Non enim sacerdos à peccatis absolvens noxios solvit, qui voluntate noxii remanent, sed qui penitendo recedunt à noxa culpae.

Quartodecimo objicit de hoc quod Hieronymus dicit super Levit. quod leprosi jubentur ostendere se sacerdotibus, quos illi non faciunt leprosos, vel munda-s, sed discernunt; ita & hic. Decipitur autem quia similitudinem nimis extendit. Absit enim ut sa-cramenta novae legis solum significant, & nihil faci-ant, sicut veteris legis sacramenta. Si autem sacer-dos solum discernendo denuntiaret peccatoris absolu-tionem, nihil faceret, sed tantum significaret. Ergo facit aliquid ministerium absoluteionis ad sacramentum: hoc enim solus Deus facit, qui ad se hominum cor-da convertit: & respectu hujus idoneitatis non habet sacerdos nisi discretionem, sicut & sacerdos legalis circa lepra.

Quindecimo objicit, quod Ambrosius dicit, quod *solus ille peccata dimittit qui pro peccatis mortuus est*. Augustinus etiam dicit, quod *nemo tollit peccata mundi nisi solus Christus*. Hoc solvit Apostolus dicens, quod ipse donavit in persona Christi, scilicet tanquam Christi minister, qui sua passione remissionem meruit peccatorum; à qua passione efficaciam habent claves Ecclesiae, sicut & cetera sacramenta.

Sextodecimo objicit de leprosis mundatis à Chris-to, Matth. viii. & Luc. xvi. quibus dixit, quod ostenderent se sacerdotibus; tamen antequam se os-tenderent, mundati sunt. Quod similiter solvendum

est, sicut id quod de Lazaro supra posuit. Decimo septimo resumit, quod cum Dominus dixisset paralytico: *Dimittuntur tibi peccata*, Judaei dixerunt: *Hic blasphematur*. Hoc supra solum est, nec oportet reiterare.

CAPUT III.

Quomodo aduersarius nititur quamdam absolutionem fingere.

IS autem rationibus positus, nititur quamdam absolutionem fingere, quae est, si aliquis talis dicat, quod ad ministerium sacerdotis pertinet oratio absolutionem Dei impetrans, postea tamen debet dicere indicative, *Ego te absolvo*, id est absolute te ostendo. Quam quidem absolutionem nec ego approbo, si simpliciter, ut verba sonant, intelligatur. Non enim oratione sacerdotis impetratur remissio peccatorum, sed passione Christi. Alioquin si sacerdos esset in peccato mortali, absolvere non posset. Præmittitur autem oratio, ut impetretur confidenter idoneitas ad suscipiendum effectum sacramenti. Quae quidem oratio licet plus valeat à justo quam à peccatore oblata propter meritum personae quod adiur, tamen etiam à sacerdote peccatore oblata non est cassa, quia proponitur ab eo in persona totius Ecclesiae. In formis autem sacramentorum non plus facit verbum à peccatore quam à justo prolatum, quia non operatur ibi meritum hominis, sed passio Christi, & virtus Dei. Similiter non sufficit illa expositio: *Ego te absolvo*, id est absolute te ostendo: quia secundum hoc in sacramentis novae legis non esset nisi ostensio, vel significatio, quod idem est; sed est sensus: *Ego te absolvo*, id est sacramentum, vel ministerium absolutionis tibi impendo: nisi forte, sicut aliquis dicitur ostendere, non solum significando, sed etiam faciendo.

Si tamen dicta responsio sustineatur, non inutile erit considerare, quam frivolis eam rationibus impugnet. Obijcit enim primo, quod Dominus dedit potestatem discipulis sanandi omnes infirmitates corporales, & spirituales. Sed in sanatione corporali infirmitatum non dicebant, *Ego sano te*, sed sanet te Dominus Jesus. Ergo nec in sanatione spirituali debet dicere sacerdos, *Ego te absolvo*. Non advertit autem qui hoc obijcit, quod potestas sanandi infirmitates erat gratia specialiter homini data, non ad sanandum, sed ad sanitatem impetrandam. Potestas autem clavium non computatur inter gratias gratis datas, sed virtus sacramentalis, quae principaliter residet in Christo, instrumentaliter autem, seu ministerialiter in sacerdotibus claves habentibus. Unde verbum dicentis, *Sanet te Dominus*, non sanabat, sed sanationem impetrabat. Verba autem sacramentalia efficiunt quod figurant, ut supra dictum est.

Secundo obijcit, quod temerarium videtur denuntiare aliquem esse ab omnibus peccatis absolutum, quia, sic esset sicut Angelus Dei. Sed multo magis est temerarium dicere, quod per claves Ecclesiae non fiat certa remissio peccatorum, ut Augustinus dicit. Numquid enim est abbreviata manus Domini, ut qui in baptismo ab omnibus peccatis mundat, in sacramento poenitentiae hoc non faciat?

Tertio obijcit, quod dicere, Ostendo te absolutum, non est eum ostendere absolutum, sicut dicere, Comedo, non est comedere. In quo decipiunt non considerans, quod formae sacramentorum non solum sunt verba significativa, sed factiva.

Quarto obijcit, quod cum dicitur, *Ego te baptizo*, non est baptizare, nisi sequatur immersio, vel inunctio. Sed hoc est valde ridiculum: quia in sacramento baptismi elementum materiale requiritur cum forma sacramenti; sed in sacramento poenitentiae elementum exterius non adhibetur.

Quinto obijcit, quod temerarie sacerdos dicit, Ostendo te absolutum, cum ignoret an Deus absolvet. Sed secundum hanc eandem rationem temerarium esset dicere, *Ego te baptizo*, cum ignoret an Deus interius baptizet. Neutrums autem est temerarium, quia sacramenta habent certos effectus, licet impediri possint per fictionem recipientis. Unde sacerdos dicens, *Ego te absolvo*, vel *Ego te baptizo*, cum certitudine denuntiat sacramenti effectum.

Similiter dicitur ad id quod sexto, & septimo obijcit de incertitudine sententiae poenitentiae.

Octavo obijcit, quod non potest dicere, Ostendo te absolutum, nisi forte alicui sit revelatum, sicut Joanni Evangelistae, vel B. Virgini. Ad quod etiam super id quod dictum est, addendum est, quod si iudex absque temeritate testibus auditis potest pronuntiare aliquem innocentem, quamvis forte sit nocens secundum rei veritatem; non temerarie ostendit sacerdos aliquem absolutum in foro poenitentiae, in quo creditur poenitenti pro se, & contra se.

Ex quo etiam patet quod non est periculosum sacerdoti dicere, *Ego te absolvo*, illis in quibus signa contritionis videt, quae sunt dolor de praeteritis, & propositum de caetero non peccandi: alias absolvere non debet. Periculose autem solum orationem dicit, quia hoc non est absolvere, sed sub dubio poenitentiae relinquere. Orare autem pro aliquo ut absolvatur, potest, sive sit contritus, sive non.

CAPUT IV.

Impositio manus non est de necessitate huius sacramenti.

Uterius autem non minus temerarie asserere praesumit, quod impositio manus sit de necessitate huius sacramenti. Primo quidem propter hoc quod Act. viii. 17. dicitur: *Imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*. Illa enim impositio fuit loco sacramenti confirmationis, quod datur per majores ministros.

Secundo obijcit quod Marc. ult. 18. dicitur: *Super egros manus imponet, & bene habebunt*. Sed hoc est ridiculum: quia non loquitur de impositione sacramentali, sed de signis faciendis.

Tertio obijcit, quod Augustinus dicit quod sacramentum novae legis debet esse signum sacrae rei, & per naturalem similitudinem (quod de suo addit:) per hoc volens dicere, quod sola verba non faciunt, nec perficiunt sacramentum. Sed patet in omni sacramento quod verba ad materiam accedentia perficiunt sacramentum. In sacramento enim Eucharistiae sola verba prolata super materiam consecrandam perficiunt sacramentum. In baptismo etiam verba prolata supra aquam tantum non faciunt sacramentum, sed supra aquam adhibitam in baptismo, quia totum est loco materiae. Ipse autem peccator confitens, est sicut materia in hoc sacramento. Unde verba absolutionis super eum prolata efficiunt poenitentiae sacramentum.

Quarto obijcit quod dicitur Matth. xix. 13. quod *oblatus sunt parvulis, ut illis manus imponeret*. Sed hoc non potest referri ad poenitentiae sacramentum, quod par-

vulis impendi non consuevit. Oblati sunt autem ei, ut manus imponeret benedicendo, secundum consuetudinem Judaeorum, ut dicit Remigius.

Quinto obijcit, quod dicitur Actum viii. 18. *Cum vidisset Simon quod per impositionem manuum Apostolorum &c.* Hoc autem pertinet ad impositionem manuum quae fit in confirmatione, ut supra dictum est.

Sexto obijcit ad hoc auctoritatem Magistri Guillelmi Alverni: qui an hoc dicit, nescio; sed scio eum non fuisse tantae auctoritatis ut ejus dicto standum sit in tanta re, praesertim cum Dominus, Petro potestatem clavium exponens, non dixerit: *Quicumque manus imposueris, sed Quicumque solveris*.

CAPUT V.

Objectiones contra praedicta, & earum solutiones.

Ultimo redit ad primum, resumens rationes prius adductas, quod non debet sacerdos dicere, *Ego te absolvo*: tum quia hoc pertinet ad potestatem Dei; tum quia sacerdoti incertum est an ille absolvatur; quae jam supra soluta sunt.

Addit etiam obijciendo, quod vix triginta anni sunt quod omnes hac sola forma utebantur, *Absolutionem, & remissionem &c.* Sed quomodo de omnibus potest testimonium perhibere, qui omnes non vidit? Sed hoc certum est quod jam sunt mille ducenti anni & amplius, quod dictum est Petro, *Quicumque solveris &c.* Quare autem non dicatur in forma, *Ego tibi remitto*, sicut *Ego te absolvo*, jam supra dictum est.

Obijcit autem ulterius, quod si sacerdos potest absolvere à peccatis, nullius esset absolvi quam accipere crucem transmarinam. Quod quam ridiculum sit dictum, de facili potest adverti. Non enim crux transmarina datur valitura nisi absoluto à peccatis ad remissionem totius poenae pro peccatis debita.

Obijcit autem ulterius, quod vix imminet vivificanti animas quae non vivunt, ut dicitur Ezech. xi. 11.

DIVI THOMAE AQUINATIS, RESPONSIO AD LECTOREM VENETUM DE ARTICULIS XXXVI. OPUSCULUM VI.*

* Al. XI.

Lectis vestris litteris, in eis inveni articulum multitudinem numerosam, super quibus à me vobis respondi infra quantumdum vestra charitas postulabat. Et licet essem in aliis plurimum occupatus, non tamen deessem vestrae dilectionis obsequio, dilatis partim per alios, quibus me intendere oportebat, questionibus à vobis propositis proposui per singula respondere.

& sic sacerdos se committit discrimini, cum nesciat quod vivat. Sed hoc jam solum est: quia etsi nesciat quod vivat, scit tamen quod sacramentum justificare potest.

Uterius obijcit, quod, sicut dicit Ambrosius, Dominus parem vim esse voluit ligandi, & solvendi. Sed sacerdos non ligat vinculo peccati, sed proprium quisque peccatorum vinculis constringitur, ut dicitur Proverb. v. Ergo sacerdos non absolvit à vinculo culpae. Contra quod dicendum, quod hoc sacerdos facit ligando, & solvendo per ministerium, quod Deus dedit per auctoritatem. Deus enim absolvit à peccato directe, gratiam apponendo; & ligat, vel trahit in peccatum, gratiam non apponendo, ut dicitur Roman. 1. Similiter sacerdos tamquam minister à peccato solvit, sacramentum gratiae apponendo, & ligat non apponendo, propter hoc quod ligat ad poenam quam injungit.

Inducit autem ultimo auctoritatem Hilarii, quod soli Deo de se credendum est; & sic absolutionem à culpa, quam solus Deus facit, sacerdos ostendere non potest.

Item quod Dionysius dicit, quod sacerdotibus non est utendum virtutibus hierarchicis, nisi quo Deitas voluerit eos. Sed haec ex superioribus sunt soluta multoties, & iterare non oportet.

Ad extremum inducit, quod ante potestatem clavium Petro traditam fit mentio de revelatione sibi facta, quasi oporteat semper revelationem divinam sacerdotem expectare antequam clavibus utatur. Non advertit autem, quod revelatio facta Petro non fuit de idoneitate absolvendorum, sed de potestate Christi, per quam sacramenta gratiae certissimos effectus habent.

Hæ sunt igitur rationes quas pro se inducit, quae non solum demonstrationes non sunt, sed vix apparentes rationes judicari possunt. Voluntas autem Dei fuit, ut pro defensione potestatis Petro tradite, in festo cathedræ Petri hoc opus de vestro mandato compilans laborarem.

ARTICULUS I.

Primus ergo articulus est, an Angeli sint mores caelorum.

Super quo dixi taliter respondendum, quod hoc non solum à Philosophis est multipliciter probatum, verum etiam à sanctis Doctoribus evidenter asseritur. Dicit enim Augustinus in V. de Trinitate, quod